

Imprimatur
C: BARTHOLIN.



Iste ministerium, Lachrymis explere
 dolorem,
 Undantesq; oculos solatia qvære, & om-
 nem
 Egerere angorem gemitu! sed tristius il-
 lud,

Cum dolor effrænis mæstos, & saxeus horror
 Flere vetat, Lachrymis molliri nescit, & intus
 Obbrutescit iners, patiturq; angitq; vicissim.
 O utinam fieret temeraria nostra qverela,
 Exemplô neqve nota meo! qvem torqvet acerba
 Curarum moles, sævo permixta dolori,
 Et malè pacati trepidâ sub mente trementis
 Singultus agitant, rapientes funera qvævis
 Semianimis vatis, geminantes vulnere vulnus:
 Dividuumque tenent causa altera & altera luctum.
 Publica damna qveror, non uni noxia genti,
 Nec geminis modò regnorum complexibus, & qvæ
 Oceani proles, atque insula plurima circum
 Fusa Borea mari sublimia sceptrâ verentur
 Numinis Augusti, moderantis jura trionum:
 Sed tibi, quæ totum lætans circumspicis orbem,
 Imperiorum, Europa, locus, sedesque beata,
 Hoc damni Libitina dedit; dum sustulit illum,
 Per qvem Clara tui, & Cæli sublimior aurâ,

Fa-

Fama olim volians, Seres Nabathæaque regna (a)
 Implevit, Regumque stupor tibi colla subegit
 Ardua, gentilisque immania nomina turbæ.
 Quamvis mortiferum te, dulcis Patria, vulnus
 Altiùs inflictum lacero sub pectore mordet.
 Occidit ille tuus (quamvis memorare molestum est!)
 Occidit ille tamen Celebris RÖMERUS ab astris,
 Et super astra iterum notus! cui tota videndam
 Uranie juveni dederat, totamque nitentis
 Culminis astriferi postquam reseraverat aulam,
 Connubio stabili Divæ per sædera junxit
 Ætherea, & sociam secum traducere vitam
 Jusfit, & in terras cœli traducere jura.
 Ille stupor mundi, Naturæ mysta, Polique
 Scrutator; cui non æqualem sæcla dederunt,
 Siquid enim Rex assiduo *Ptolemæe* labore
 Detexti terris: si quid, *Galilæe*, dedisti
 Spectandum populis astrorum, atque arte stupenda
 Admovisti oculis, ignotaque sidera quondam;
 Ingeniosa tui si quid solertia mundi
 Lustravit cursus, variosque, *Copernice*, nobis
 Monstravit radio cœli terræque labores:
 Omnia divino superavit acumine felix
 RÖMERUS; Natura, tui pars inclyta regni.
 Demeruisse Jovem, multoque satellite fidus
 Stipasse, & certos inventis scribere motus (b)
 Non alium voluit cœlum. *Galilæus* id olim
 Tentavit; Tu perfectum, RÖMERE, dedisti.
 Lumina quæ terras lustrent ratione quot horis,

Quæ

(a) Regna intelligo *Chinensium* & *Siamensium*, quos *Pætres Jesuitæ* non aliâ facilius ratione demulcere poterant, ut ab iis facultatem Evangelium prædicandi impetrarent, quam oblatis *Machinis* illis admirabilibus, ab illustri *RÖMERO Parisiis* adornatis. *l'id: journal des Sçavans* ad Annum 1682. pag. 36.

(b) *Satellites Jovis*, à *Galilæo* quidem circa annum. 1610. beneficio tuborum opticorum pri-
 mum visi, à B. nostro jugi observatione accuratissime detecti, & ad certam motus legem re-
 vocati, atq; una cum *Saturnalibus* stupendi operis machinâ repræsentati.

Quæ mora processûs, quæ velox semita lucis,
 Hoc opus est monstrâsse Tuum, (c) Cartesius illud
 Scire volens, nescire probat; sed porrigit ultrò
 Victori palmam Dano, patiturque doceri.
 Quantum immota oculis octavaq; sidera nostris
 Immensumue absint, priscorum nesciit ætas; (d)
 Imò etiam ignotum nostro compluribus ævo:
 Quos labor ingeniiq; satis commendat acumen.
 Et tamen eximio sumptu jugique labore
 Vendidit hæc natura tibi: hæc mysteria soli
 Demonstranda dedit, totumque edenda per orbem.
 Quid, *Keplere*, vocas petulantia (e) sidera Lunæ
 Ingeniis majora tuis, & cedere legi
 Nescia; RÖMERI quæ calculus esse coegit
 Obsequiosa satis. Testetur Machina duplex (f)
 Perpetui Phæbes motûs certissima norma,
 Atque vagi cursûs (mirum) firmissimus index

Ex-

(c) Famofam de propagatione Luminis controversiam, quam tanto fervore assueverat sum-
 mus alioquin Philosophorum Cartesius, ut nisi instantanea deprehenderetur illa propaga-
 tio, non recusaret, quin cuius æquum esset dicere, se nihil in Philosophia scire. vid. ipsius
 Epist. At Contrarium ex ipsius fermè Cartesii principio deprehendit & demonstravit
 Illustris noster, mira sagacitate, ex Eclipsibus nempe Satellitum Jovis, cum ad eclipsim Lunæ
 alter provocaverat, observando quot nim. tert. per singulos terræ diametros lumen propa-
 garetur.

(d) Inter illa naturæ mirabilia, quæ priora secula nostro reliquerunt detegenda, est insignis il-
 la & veteribus desperata Parallaxeos orbis annui doctrina, ab illis quidem quo ad aliquam
 sui partem confuse & dubie tractata, à B. nostro tanta evidentia determinata & demon-
 strata, ut nihil dubii relictum sit. Adeoque quæ prius, non tantum indeterminata, sed etiam
 immensa habebatur, fixarum à terra distantia; etiam novis & acutissimis in Gallia & An-
 glia Astronomis frustra attentata, ea nunc ex B. Dn. RÖMERI observationibus definita
 & certis diametrorum terræ numeris mensurata est.

(e) Keplerus Tab. Rudolph: ante præceptum 171. Lunam vocat, contumax fidus legesq;
 respuens. &c.

(f) Hæc sunt illæ Machinæ admirabiles, quarum una omni tempore, præfenti, præterito & futuro,
 statum & motum cæli monstrat, ut & longitudinem & latitudinem unius cuiusq; Planete ejusq;
 in cælo verum locum, motum Apogei & perigei, celeritatem & tarditatem, secundum ec-
 centricitatem motus sui circa solem, sive stationarii appareant sive retrogradi. Præterea
 ortum & occasum eorundem per medium planisphærii &c. Altera vero, quæ est Eclipsium,
 non minus admirabilis, quovis quæsito annò, sive præterito sive futuro, monstrat omnes
 eclipses Solis & Lunæ, earumq; justam magnitudinem, diemq; & verum motum Lunæ in
 omnibus suis anomaliis & mutationibus, quæ quolibet Apogei & perigei mense accidunt.
 Ubiorem descriptionem inventi eximii vid. in Journal des Scavans ad Annos 1681 1682.

Externo sub Sole stupor: quæ digna locari
 Vile fuit summis lateri hinc atq; inde Monarchis; (g)
 Tunc cultu sacrata Dei: nunc reddita nobis,
 Gentilique solo, (h) populis miranda quotannis.
 Sed quid ab externis fatis exempla requiro
 Sollicitus? Majora dabit Patria ipsa, suarum
 Miratrix dotum, tantâ lætissima prole.
 Illa sibi ereptum gemeret cum mæsta Tychonem
 Dania, juraretque sibi non amplius ullum
 Artificis summi æqualem post funera nati;
 Invenit natura viam, terrisque benigna
 Edidit hunc tantum divino è semine fætum,
 Non ultra jam passa queri; mox vota replevit,
 Et votis majora dedit. Quod profuit olim
 Machina, magnifico fabrilis structa paratu,
 Nunc fato meliore dabit miranda supellex
 Vitrea RÖMERI, (i) quâ magna sidera parte
 Jam propiora micant: (k) sive hæc descendere cælo,
 Dignata, & terris nativum sistere vultum,
 Sive oculos armans, media plus parte sereno
 Machina provexit cælo. Sic totus Olympus
 Parte aliqua ante sui notus, nunc culmine pleno
 In seris voluit tandem innotescere terris.
 Atque utinam hæc inventa Viri, quæ protinus orbem
 De-

- (g) Regibus scilicet Indorum; quos easdem Machinas in throno suo dextra levâq; collocasse accepimus, tunc demum fassos, Europam duos oculos habere.
- (h) Utraq; quidem in Augustissimi Regis Cimeliarchio: prioris vero etiam prototypum in Turri Astronomica asservatur.
- (i) Tria videl: theatra Astronomica, sive Observatoria. Primum in dicta Turri, tubis opticeis egregiis, nunquam isthic antea visis, ab illustri hoc Viro locupletata. Secundum in Ipsius & patris adibus, insigni rei Astronomice commodo instructum, ubi per 18 hætenus annos continua observationes celitus deductæ sunt. Et Tertium prope Pagum Pilenborgensem: situ loci & instrumentorum apparatu omnium facillè optimum; usq; adeo commode ad novam & singularem B. RÖMERI methodum observandi adornatum, ut sumtuosissima observatoria, quæ alibi habentur, tantum superet usu, quantum specie & magnificentia ab illis superatur.
- (k) Cujus rei documento esse potest, quod præter alios observationum celestium progressus horum instrumentorum beneficio, inaudito hætenus successu Mercurius prope solem, vel in ipso Meridiano, liquido conspici possit: neq; hoc solum, sed stellæ etiam minima, quod nâspiam alibi, in ipso meridie tuborum adminiculo satis manifesto apparent.

Devinxere sibi meritis, spectacula rara,
(Quæ mea sub medio lætatur Musa dolore
Exili patuisse sibi) hæc tam Dia theatra,
Temporis assiduo cursu, fecisque nepotum,
Perpetuent usus, nullis temeranda procellis
Fatorum, donec cælorum, lege perenni,
Quem toties oculis monstrârunt, volvitur orbis.
Sed dum quæque sibi tellus hæc polscere fata
Inciperet, velletque suum gens quælibet illum,
Hinc Gallus Teutoque potens, inde ampla Trionum
Regna, trahunt captam magno certamine litem.
Æquior hoc natura decus tibi, Dania, soli
Adscripsit proprium, totis plaudentibus astris.
Quò magis ereptum munus deslere necesse est,
Indultum terris, tristi sed morte receptum.
Et miror potuisse mori, cui dedita cælo,
Inter terrigenas, trrenaque membra gerenti,
Enthea stelliferos mens exspatiata per orbes,
Depexit terras sublimis, & ipsa subegit
Atria cælorum, mortali extantior aura.
Sed quid ego? Quid mira voco? si munera cæli
Ad cælos iterum redeunt, si sidera tantum
Ipsa sui Mystam rapiunt, terrisque perennem
Esse negant, quem regna sibi cælestia possunt,
Ille igitur superum perfusus lumine sacro,
Quos olim cæli tractus velut hospes habebat:
Incola nunc proprios calcit, nescitque fruendis
Excidere, æternum possessio tuta Deorum.
At Tu, quod superest, & vita & funere tanti
Nobilitata Viri, mæstosage, patria, planctus,
Læta quidem talem genuisse, atrata vicissim,
Hunc tantum liquisse Virum, qui gloria secli
Delicium gentis, decus & flos urbis obibat.
Quis tibi nunc Phæbus cælum reſerabit & astra,

Atque

Atque an tu tollere vis, quis ante te
Tempore longget? Quid te tu tollere docebit?
Qvis tibi re tradet, noſceadam atq; omni prudens
Intervalla tui ſignabit limite mentis?
Plura queri liceat, quem purpura veſtit illa,
Qva tibi RÖMERUS Conſul ſpectandus, ut olim
Hafnia, jura dedit? Poſt hunc quis lege verenda
Informet vitas, & mores temperet urbis?
Hæc ego dum mecum invito ſub pectore volvo,
Flebilis & noſtros modulatur nœnia cantus,
Communes inter gemitus, pullæque cohortis
Funeris in tanti amplexu ſuſpiria, mæſtus
In me verto oculos tristeis. Mox altera cura
Erumpit, privusque dolor præcordia raptat.
Hæi mihi! quod tanto mihi Mecænate carendum eſt
Qvem fortuna dedit mater, mox ipsa noverca
Abſtulit. O noſtri nunquam conſtantia ſati
Munera! & alternos inter ſua gaudia luctus,
Sola igitur miſeris hæc in conſtantia conſtans,
Speq; metuq; trahi! Sic undiq; fallere mos eſt
Fortunæ, & deſideriis vexare bonorum!
At vos felices manes, pia cura Deorum,
Indigetes cæli, meliore in ſede beati,
Qvi meritis orbem, pietate implèſtis Olympum,
Vivite, & æternos in cælis ducite plauſus,
Gaudiaq; immenſum non interitura per ævum!

